



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CVIII. Cur Christus per viros nobiles, Josephum & Nicodemum de cruce deponi, ac sepeliri voluerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)


splendorem ac decorem, quem antea habuit, conservavit; erant enim tunc Judæi ad idololatriam valde proclives, idèd à S. Michaelè, licet ringente diabolo, occultè sepultus est.

Hebr. 1. 6.

Christus DEus & Homo, ubi pro homine mortuus est in cruce, publicum in horto sibi elegit sepulchrum, quia non erat hic periculum alicujus idolomania, idèd Angelis dictum est: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Et quid nos facimus, qui illius sanguine redempti sumus? Honorat Sacrum illud sepulchrum ipse DEus, quod per tot secula in tot bellis & everfionibus civitatis Hierosolymæ tam mirandum in modum conservavit illafum. Honorat illud univerfa Ecclesia Catholica, quæ singulis annis ad memoriam & repræsentationem hujus Sancti Sepulchri in templis Mausolæa solet erigere, ut Christiani in illo luctuoso triduo mortis Domini suam possint exferere devotionem ac pietatem: *Sepulchrum Christi*, ait S. Bernhardus, *inter loca devotionis tenet principatum.* Imitemur proinde Majores nostros, qui sepulchris benefactorum suorum figuram cordis solebant insculpere;

S. Bernh. ser.
ad Milites
templi. c. II.

hoc & nos faciamus, assiduâ & gratâ memoriâ in corde recollentes Christum JESUM & hunc crucifixum, mortuum ac sepultum.



CONSIDERATIO CVIII.

Cur Christus per viros Nobiles, Josephum ab Arimathæa, & Nicodemum principem de cruce deponi, ac sepeliri voluerit?

Venit Joseph ab Arimathæa nobilis decurio, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus JESU.
Marc. 15. 43.

I.
Ubi viator ille Jeruchuntinus à latronibus despoliatus, multisque horrendis vulneribus faucius in via derelictus est, pertransiit quidem Sacerdos, sed horrore plagarum vulneræi illius ac moribundi percussus retrorsum abiit, & in contrariam

riam partem iter suum reflexit. Similiter & Levita, cum esset fecus
viam, videns tam miserabilem hominem in proprio sanguine natam-
tem pertransit. Venit & Samaritanus homo dives ac nobilis, & vi-
dens eum misericordiam motus est, descendensque de jumento alligavit
vulnera eius. *insundens oleum & vinum.* Luc. 10. 34.

En perelegantem typum in Christo Jesu viatore, à Jericho in
Jerusalem descendente, adimpletum. Incidit hic pariter in latrones,
peffimos Judæos, qui non tantum despoliaverunt eum, sed & impo-
sitis plagis abierunt semivivo, imò & mortuo in cruce derelicto:
Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua. Non sic Joseph Math. 27. 39.
ab Arimathæa nobilis decurio, non sic, non enim præteribat, ut Sa-
cerdos & Levitæ, quanto Christum Dominum in trabali ligno sus-
pensum, vulneratum ac mortuum conspicatus est, sed misericordiam
motus, animante eum Deo, & hortante B. Virgine, *introivit audacter*
ad Pilatum. & petiit corpus Jesu, quod & feliciter impetravit.

2. Observa hic mirandam Dei omnipotentis providentiam:
Unum Joseph de Regia Davidis stirpe oriundum, adeoque hominem
nobilissimum elegit, cum Filius unigenitus intraret in mundum, alte-
rum Joseph pariter nobilem sibi reservavit, cum per passionem &
crucem exiret de hoc mundo; hic, inquam, audacter & seposito
omni metu ac respectu humano ad Romanum Præsidentem ingressus pe-
tiit, & impetravit corpus Jesu crucifixi. Quid si pauper fuisset ille Jo-
seph de Rama ac homo ignobilis, an aliquid à Gentili Judice impe-
trasset? R. Minimè gentium, ita S. Hieronymus: *Quia pauper, ait,* S. Hieronym.
non fuisset ausus ad Pilatum præsidem Romanum accedere, & crucifixi corpus im- apud Corneli-
petrare. Voluit proinde Deus habere hominem divitem, nobilem ac hic.
magnæ auctoritatis virum, decurionem ac senatorem Hierosolymi-
tanum, qui ultimum hoc obsequii genus dilectissimo Filio suo impen-
deret. Ecce quid Nobiles possint facere pro honore crucifixi Jesu, si
velint. Prius elegit sibi Christus pauperes piscatores: sed post mor-
tem divites, Josephum & Nicodemum, viros pecuniosos atque sum-
mates, ut discant Illustres omnes & opulenti, quomodo & ipsi per
angustam portam possint intrare in regnum cœlorum, hoc est per
SS. Vulnera Jesu.

3. Videamus nunc modum, quomodo isti proceres, animis jam
post tantum luctum revocatis, & penitissimè unitis, Christi corpus
de ligno crucis deposuerint: *Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta* Act. 13. 29.
erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento, quod factum
est erectâ cruce. Interim B. Virginem ac Matrem dolorosam in
hunc modum ad S. Birgittam loquentem audiamus: *Hi duo, Nicode-*
mas

Lib. 2 Re-
velationum
cap. 21.

mus & Joseph, qui Filium meum deponabant de cruce, tres applicabant scelas, una proredebatur ad pedes, secunda subtus ascillas & ad brachia, tertia ad modicam partem corporis, primus ascendit, & tenebat eum per medium, secundus ascendens per aliam scalam excussit primò unum clavum de uno brachio, deinde applicat à scalâ excussit clavum alterius manus; qui quidem clavi longè ultra stipitem crucis protendebantur. Descendente igitur illo qui sustentabat onus corporis paulatim, & modicè, prout poterat, ille alius ascendit scalam qua tendebatur ad pedes, & excussit clavos de pedibus. Cùmque appropinquaret ad terram, unus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes, ego verò qua Mater eram, tenui eum per medium, & sic nos tres portavimus eum ad quandam petram, qua linteo munda per me aperta erat, in quo obvolvimus corpus &c. Hæc dolorisissima Crucifixi Mater. Vide ex hoc, & considera quàm rarum sit hoc exemplum illustrium ac dignitate præcellentium virorum, dum ipsi patibulum crucis ascendere, & cadaver tam miserabiliter cruentatum non horruerunt deponere, & è brachiis crucis ad B. Virginis brachia transferre. Ah! ubi amor noster est erga crucifixum JESUM? Verè ipse Amor non amatur, non æstimatur: Omnes quærunt quæ sua sunt, & pauci quæ sunt JESU CHRISTI.

2. Reg. 2. 5.

4. David, ubi Dei monitu migravit in Hebron, in quo loco à tribu Juda in Regem inunctus est, summoperè commendavit, ac laudavit cives Jabes Galaad, quod sepelissent Saulem Regem interfectum, cujus corpus in muro Bethsan vel catenâ, vel in stipite suspensum, ut ab omnibus prætereuntibus spectari posset, deposuerunt, & honesto sepulchro mandarunt, in quem finem ad prædictos viros amandavit nuntios, eisque indicari iussit: *Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum: Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: Sed & ego reddam gratiam, eò quòd fecistis verbum istud.*

O gloriosissimi ac fortissimi viri, Joseph ab Arimathæa, & Princeps Judæorum Nicodeme! hoc longè meliori jure de vobis dicere possumus, quia vobis obstricta est omnis mortalitas humana, ac præfertim omnes Christiani: Benedicti ergo vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro, imò Domino univerforum, & sepelistis eum: Et nunc quidem retribuit vobis Dominus misericordiam & veritatem: Sed & B. Virgo ac Mater Crucifixi reddit vobis gratiam, eò quòd fecistis verbum istud, & patibulum corpus JESU aromatibus conditum, ac munda sindone involutum sepulchro, in petra viva exciso, mandastis. O viri prænobiles immortalis laude dignissimi. Ecce hæc est vera Nobilitas morum, qua magis ornat quam genitorum. Et tales elegit Dominus.


5. Et

5. Et quia tantorum virorum fecimus mentionem, juvat, ut & illorum vitam ac rerum exitum breviter perstringamus. De Joseph Mallon. de S. Sind. c. 1. refert Mallonius, quòd post gloriosam Christi in cœlum ascensionem ab Apostolis missus sit ad prædicandum Judæis Evangelium, ubi multas pro Christo sustinuit persecutiones, atque inter cæteras etiam venenum pro Christi fide bibere compulsus sit, ex quo tamen nihil triste tulit; Proinde navi sine velis & remis cum Lazaro, Martha, Magdalena & Maximino impositus, Deo remige Massiliam appulit, & paulò post oblatâ occasione in Angliam navigavit, ubi constanter Christum crucifixum prædicavit, ac tandem piissima morte defunctus est; unde ab Anglis quasi Angliæ Apostolus honoratur, cujus dies festus 17. Mensis Martii ab Ecclesia in Romano Martyrologio celebratur: *Hierosolymis Sancti Joseph ab Arimathæa nobilis decurionis, discipuli Domini, qui ejus corpus de cruce depositum in monumento suo novo sepelivit.* O virum & Nobilem egregium!

6. Nicodemus Phariseorum Princeps, qui Josepho in hoc sublimi pietatis officio in sepeliendo Christo comes fuit, de nocte ad Jerusalem venit, à quo mirè edoctus recessit in lumine, qui advenerat in tenebris. Hic ob exhibitum Christo honorem à Judæis raptus, carcerique mancipatus, horribiles ab ipsis passus est persecutiones, cognoscens enim Judæi illum esse Christianum, amoverunt eum à principatu suo, ait Lucianus in epistola de inventione corporis S. Stephani, & anathematizaverunt eum, & de civitate exulaverunt, quem Gamaliel ob Christi amorem in domum suam suscepit, vestivit, nutrit, & tandem piissimè defunctum honorificè juxta S. Stephanum Protomartyrem sepelivit. Unde & Nicodemus in Martyrologio Romano Sanctis adscriptus est cum S. Stephano die 3. Augusti. Refert Mallonius & alii, quòd dictus S. Nicodemus post gloriosam Christi resurrectionem lintamina & reliqua passionis Dominicæ instrumenta summâ cum diligentia collegerit, atque ob ingenii magnitudinem, quâ pollebat, piientissimi Redemptoris nostri imaginem suis ipse manibus ex cedro formaverit, in qua ille, qui Christum de cruce refixit, quatuor clavos addidit, in cujus medio Christi Sanguinem, aliâque memoranda Passionis instrumenta collocavit. Asservatur, & religiosè colitur hæc thæumaturga Crucifixi imago Lucæ in Hetruria, cujus nuditatem vestis pretiosa defendit.

Habet hic Nobilitas humana præclarum exemplum, quomodo aestimare & amare debeat Crucifixum Dominum. Certè Constantinus Magnus Imp. ubi hoc salutare crucis signum in aère radiare conspicatus est, cum hoc lemmare: *In hoc signo vinces*, mox ordinavit, ut Sandrus in Scauroph. tol. 444. omnibus

omnis exercitus Crucifixum Dominum genuflectens adoraret, ubi & 50. Milites fortissimos elegit, qui in pugna vexillum Crucis caeteris preferrent cohortibus, qui 50. Vexilliferi in Ecclesia militantes Ordinem militare sub Constantino M. supremo illius Magistro instituerunt. En originem veræ & Christianæ Nobilitatis à Signo Sanctæ crucis. Sequere.



CONSIDERATIO CIX.

Contra carnis tentationes nullum efficacius remedium, quàm fuga ad crucifixum Jesum.

Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Galat. 5. 24.

1.

Ether. 7. 6.

Sedet Aman in regali convivio, nihil mali vel sinistri cogitans, postulat interim Esther sibi & Judæis vitam, Amanum verò apud Regem solemniter accusat: *Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman.* Quid Rex? sine mora jubet, ut in patibulo, quod prius ille Mardocheo paraverat, suspendatur: *Appendite eum in eo.*

*S. Ant. Pad.
S. fer. 6. in
cap. jejunii.*

S. Antonius Paduanus per Aman carnem nostram intelligit, verè *hostis & inimicus noster pessimus*, & quò magis illi blandiris, eò magis tibi fiet rebellis, & si foveatur, amplius lædit. Aman, prout dictum est, suspensus est in patibulo non in domo sua, sed in porta urbis Susorum ad majorem ejus ignominiam; Et si P. Gretsero credimus, ferreis

*Gretser. lib. 1.
de cruce. cap.
19.*

clavis cruci affixus est. Ita & tu, ô homo Christiane! carnem tuam toties tibi rebellem debes suspendere in cruce Christi clavis contritionis, timoris & amoris Dei: *Confige timore tuo carnes meas.* Unde rectè

*Psal. 18. 120.
Gal. 5. 24.*

Apostolus: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Collige ex hoc, an tu sis Christi?

3. Ubi Veritas Christus ac Redemptor noster cum iniquis in cruce reputatus est, ut nos ex iniquis justos faceret ac Sanctos; Observat Scriptura